



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Cap. I. De natura locationis & conductionis, de personis, quæ locari & conduceri possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

contrahitur, ita contrario consensu dissolvitur, antequam fuerit res secuta &c. item ex l. 1. C. *quand. liceat ab emptio. disced.* ubi similia habentur. Gomez. l. 2. var. c. 2. num. 21. Castrop. loc. cit. §. 30. num. 1. Lauterbach. ad ff. de rescind. vendit. §. 63. cum communi. Idque etiam si arrha data & acceptata, vel fidejussores dati. L. si emptio & l. 2. C. *quand. lic. ab empt. reced.* Castrop. Lauterbach. LL. cit. Siquidem, ut ait posterior juxta citatos textus fidejussoris, arrhæ, pignoris datio non impedit, quò minus res dicatur integra, & partes mutuo consensu à contractu recedere possint.

3. Resp. ad secundum secundò: Dum res amplius integra non est, sed contractus hic ab altero saltem aliquo modo impletus, puta, per traditionem rei vel solutionem pretii, solo nudo consensu, ut dum dicunt contrahentes: volumus contractum nihil valere, sed nullum & irritum esse, solvi non potest emptio venditio, nisi prius pretium vel res accepta restituatur, & sic res in antiquum statum reducatur, pro ut statuitur L. ab empt. ff. de pact. l. 1. C. *quando lic. ab empt. reced.* Castrop. loc. cit. num. 3. Reiffenstuel. h. t. num. 418. Et hæc quo ad forum externum; quia quò ad forum conscientie tali nudo mutuo consensu censetur contractus solutus, & tenetur in foro conscientie qui rem vel pretium accepit, restituere alteri acceptum, utpote in quo ex quolibet pacto, etiam nudo, oritur obligatio saltem naturalis. Inspec-to verò jure civili, cogi non potest recipiens red-dere & contractum dissolvere; quia ex pacto nudo stipulatione non vestito nulla nascitur in foro ex-terno obligatio, nullaque datur actio, etsi detur ex-ceptio ob dictam naturalem obligationem; quin &, ut Reiffenst. h. t. num. 419. praxis hodiernatri-bunalium admittat quoque actionem ex nudo pa-

cto. & ita docent. Molin. d. 373. n. 5. Gomez. Castrop. LL. cit.

4. Respond. ad secundum tertio: Dum con-tractus emptionis & venditionis ex utraque parte jam est perfectus & completus, nempe traditio-ne rei & solutione pretii, mutuo consensu non dissolvitur seu rescinditur prior ille contractus, sed novus celebratur. l. 2. ff. de rescind. vendit. Molin. loc. cit. num. 7. Castrop. num. 2. Reif-fenstuel. num. 420. Neque contrarium dedu-citur ex jam dictis, nimirum, quòd sicut con-tractus ille ex una parte jam impletus mutuo con-sensu dissolvatur, saltem post restitutionem ac-cepti, ita etiam dici potest mutuo consensu contractum utrimque completum dissolvi, si utrimque datum & acceptum restituatur. Nam in contractu utrimque completo nulla manet am-plius obligatio resolvenda; in contractu verò ex una tantum parte impleto maneat ex altera parte implenda obligatio, hæc mutuo consensu dissol-vi potest, ut inde dicatur contractus dissolutus.

5. Resp. ad secundum quartò: De cætero venditione & emptione perfecta, etiam ex solo mutuo consensu, neuter altero invito à contractu recedere & alteri jus quæsitum auferre potest, etiam si venditor emptori offerat duplex pretium juxta l. 6. C. de rescind. vendit. aut etiam si adver-sarius ex parte sua contractum non impleverit. l. 14. C. eod. Lauterbach. ad ff. de rescind. vendit. §. 62. citans Mevium p. 2. decif. 20. & p. 8. decis. 178. ait tamen Castrop. loc. cit. num. 1. probabile videri, cuilibet contrahentium licitum esse à con-tractu recedere solutâ arrhâ. pro quo citat Gar-ciam. de contract. c. 13. & Salaf. tract. de empt. & vendit. du. ult. citantem alios.

## TITULUS XVIII.

### De Locato & Conducto.

#### CAPUT PRIMUM.

### De Natura Locationis & Conductionis, de Per-sonis, quæ locare & conducere, Rebusque quæ locari & conducì possunt.

Quæst. 332. Quid sit locatio & conductio?

1. **R**esp. Locatio & conductio est contra-ctus consensualis, quo res vel persona utenda vel fruenda, seu ad usum & fructum pro certo pretio vel merce-de conceditur & accipitur. ita ferè cum communi. De Lugo. de f. & f. d. 29. l. 3. n. 1. Dicitur primò: *locatio & conductio*: ponuntur hæc verba conjunctim pro uno contractu, quia correlativa, & unum sine altero esse non potest. Mull. ad Struv. h. t. n. 2. & quamvis sæpe alterutro horum vocabulo-rum totus hic contractus significetur. l. 20. ff. de act. empti. l. 4. ff. h. t. Lauterb. ad ff. h. t. §. 2. utro-que tamen simul sumpto unus idemque contractus exprimitur per respectum ad diversas personas di-verso nomine compellatas ita ut ex parte seu re-

R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. III.

spectu illius, qui rem vel personam ad fruendum & utendum concedit, dicatur locatio, respectu illius, qui pro utenda & fruenda pretium præstat, dica-tur conductio, non secus, ac contingit in emptione & venditione, cui hic contractus valde similis est dum locator usum vel fructum rei & operas perso-næ vendit, & conductor emit Azor. Inst. mor. p. 2. l. 8. c. 1. q. 1. & 2. Pirh. h. t. n. 1. Qui posterior ge-nerico hoc nomine compellatus pro diversitate re-rum, quas conducit, diversis nominibus specificis venit, ut, qui ædes in civitate conduxit, dicatur in-quinus, qui agrum vel prædium rurale conduxit colonus, qui opus faciendum, redemptor. l. 51. §. 1. l. 60. §. 3. h. t. & qui vectigalia, publicanus. Laut. h. t. §. 5.

2. Dicitur secundò *contractus*; quod est loco generis. Et quidem juris gentium, verissimus & no-minatus. l. 1. §. 2. ff. de rerum permut. Lauterb. §. 3.

Dd 2

ex

ex utraque parte obligatorius, bonæ fidei, non secus ac venditio. l. 1. § 17. C. h. t. unde.

3. Dicitur tertio: *consensualis*, utpote qui nudo & solo mutuo consensu quocunque modo declarato perficitur, ita ut, quamprimum contrahentes de usu rei vel opera personæ & certa mercede pure convenerunt, locatio & conductio sit & dicatur perfecta. *pr. Inst. h. t.* traditioque solummodo ut implementum, & scriptura quandoque probationis gratiâ intercedat. Lauterb. §. 7. qualiter autem in tacito consensu constitui possit conductio, vide apud Eundem §. 8. & seq. ubi, quod quamvis unius contrahentium, vix tamen utriusque tacito consensu ab initio vel de novo contrahenda constitui possit locatio, nisi forte certa merces lege esset, definita; contracta tamen semel, tacite renovari possit. V. g. si conductor tempore conductionis impleto, sciente & patiente locatore (qualis dici non potest locator interea factus furiosus, cum tunc consentire nequeat, ut Mantie. *de tac. & amb. contrah. l. 5. tit. 15. num. 10.* Brunem. *ad l. 13. §. fin. h. t. num. 19. & 23.*) in locatione non modico tempore maneat; tunc enim locatio & conductio tacite renovata censetur. *cit. l. 13. & l. 16. h. t.* qualiter autem quo ad hoc tempus in hac per tacitum talem consensum renovata conductione, distinguendum inter prædia rusticæ & urbana, vide apud Lauterb. §. 9. & 10. Porro dictus consensus liber esse debet non tantum ab errore, Arg. l. 7. ff. *de contrah. empt.* Sed etiam à coactione ita regulariter loquendo nemo invitus rem suam vel operas ab initio locare vel conducere, aut etiam semel contractam locationem renovare cogi potest. l. 11. § 22. C. h. t. l. 7. §. 1. ff. *de public. & vehtig.* Lauterb. §. 11.

4. Dicitur quarto: *quo res vel persona*: non enim solum locari & conducere potest res, sive mobilis, ut equus, domus & similia, quorum fructus consistit in utriusque, per quod distinguitur locatio à deposito & pignore, in quibus res traditur custodienda, vel conservanda, non autem ut ea accipiens illis utatur; quædam etiam ad fructum ab usu distinctum exinde percipiendum, ut agri, vineæ, pascua, oves & similia; item jura, commenda, vectigalia; quin & utres certique districtus concessi ad percipiendos eorum redditus; quorum conductio etiam amodiatio dici solet, per quod locatio & conductio distinguitur ab iis contractibus, per quos dominium transfertur in accipientem, ut sunt venditio, donatio, mutuum.

5. Dicitur quinto: *ad usum vel fructum*: quædam enim conceduntur & conducuntur ad solum usum, ut equus, domus & similia, quorum fructus consistit in utriusque, per quod distinguitur locatio à deposito & pignore, in quibus res traditur custodienda, vel conservanda, non autem ut ea accipiens illis utatur; quædam etiam ad fructum ab usu distinctum exinde percipiendum, ut agri, vineæ, pascua, oves & similia; item jura, commenda, vectigalia; quin & utres certique districtus concessi ad percipiendos eorum redditus; quorum conductio etiam amodiatio dici solet, per quod locatio & conductio distinguitur ab iis contractibus, per quos dominium transfertur in accipientem, ut sunt venditio, donatio, mutuum.

6. Dicitur sexto: *proprietio vel mercede*; quæ nimirum pro usu vel opera, vel etiam pro fructu alio ex re conducta percipiendo promittitur, & sine quo aut qua locatio nulla esse potest. *pr. Inst. h. t. l. 23. in fin. ff. commun. divid.* differtque per hoc à commodato & precario, vi quorum res ad usum conceditur omnino gratis. Consistit autem pretium ilud vel merx in nullo alio, quam pecunia numerata strictè tali, seu nummis signatis, utpote quæ sola sicut in emptione est pretium, quo res vendita æstimatur, ita etiam in locatione est pretium,

quo usus & fructus rei & opera personæ æstimantur. Adeoque ubi pecunia pro eis non promittitur, sed quid aliud statuitur. v. g. certa pars fructuum, lanæ, butyri ex agro, pecoribus percepta, vel quid similitæ, non est locatio & conductio propriè & strictè dicta, sed contractus quidam alius innominatus. v. g. do ut des, do ut facias; ex quo non nascitur actio locati, sed in factum seu præscriptis verbis, Molin. *tr. de j. & j. d. 356. num. 2.* Azor. p. 2. l. 8. c. 5. q. 4. Less. *de j. n. l. 2. c. 21. & 24. n. 1.* Pirh. *h. t. num. 2.* Lauterb. *in ff. h. t. §. 30.* Müller. *in Scriv. h. t. th. 5.* citatis quam plurimis aliis, juxta §. 2. *Inst. h. t. l. naturalis. §. at cum. ff. de præscrip. verb. contrarium*, nempe pretium locationis constitui posse in rebus aliis, præsertim fungibilibus, id est, consistentibus in pondere & mensura. v. g. in certa parte frumenti, vini, olei tenentibus Menoch. *remed. 3. ad p. sc. poss. n. 93.* Valquio *illust. qq. l. 6. c. 53.* Salicet. *in L. folet. C. de locat.* Wetleb. *in paratit. ff. locati. num. 7.* Morla *in empor. jur. p. 2. tit. 10. de locat.* & aliis pluribus apud Muller. *l. c. Arg. l. 35. ff. h. t. l. 21. C. eod.* quos tamen textus intelligendos de locatione minus strictè talium Zoës. *ad ff. h. t. num. 4.* dicit Pirh. *l. c.* & Reiffenst. *h. t. num. 7.* alias diveritas illorum interpretationes vide apud Muller. *l. c. lit. v. colono* verò partiario, dum usus pro certa parte fructuum conceditur, et si ad locationem & conductionem referant Menoch. *l. c.* Bald. Cynus & alii apud Muller. *l. c. lit. v.* alii tamen contractum illius volent esse innominatum, alii etiam esse contractum verum societatis.

7. Dicitur septimo: *pro pretio certo*, hoc est, determinato ex se, vel à lege, vel consuetudine, vel contrahentium voluntate juxta §. 1. *Inst. & l. 25. ff. h. t.* ita ut, si non statim ab initio certa merces constituitur, sed tantum promittatur, quantum justum erit, vel quantum inter locatorem & conductorem postea convenerit, non sit propriè dicta, sed contractus quidam alius innominatus. *cit. §. 1. Inst. & l. 22. ff. de præscrip. verb.* Muller. *l. c. lit. 6.* Lauterb. *h. t. §. 32.* cum Mantie. *l. c. tit. 2. à num. 3.* & Brunem. *in l. 18. C. h. t.* Qualiter adhuc certam mercedem constitutam, si dicat conductor tanti, quanti illam domum locasse aliis; non verò esse certam, si committatur futuris arbitris, ait Muller. *l. c.* Debet quoque de certa mercede utriusque contrahentium constare pariformiter, unde si locator existimet se locasse pro decem, & conductor putet se conduxisse pro quinque, nulla est locatio. Mantie. *de tac. & ambig. convent. l. 5. tit. 1. num. 10.* C. de Luc. *de locat. d. 16. num. 10.* Requiritur quoque, ut merces sit justa, ita tamen, ut quamvis quævis inæqualitas inter mercedem & usum rei vel operas locationem non vitiet. *l. 22. §. fin. & l. 23. ff. h. t.* si tamen ea sit infra dimidium justii pretii, læto comperat remedium. *l. 2. de rescind. vend.* Brunem. *ad cit. l. 22.* Lauterb. §. 3. quænam autem merces dicatur justa, maximè in locatione operarum, relinquendum hominum peritorum æstimationi, De quo quoque videri potest. De Lug. *l. c. §. 3. n. 61.* & plura inferius.

*Quæst. 333. Qui locare & conducere possint aut prohibeantur?*

**R**esp. primò in genere: Locare & conducere possunt omnes, qui contrahendo se obligare possunt, nec speciali prohibitione ab hoc contractu excluduntur; cum contractus hic sit de jure gentium. *l. 1. ff. h. t.* & concessum intelligatur, quod non est expressè prohibitum, ut inquit Gl. *in c. inter corporalia, de translat. Episcop. v. non inventur.*

2. Resp.

2. Resp. secundò: Jure communi plures prohibentur locare & conducere, non quidem simpliciter sed respectu certarum rerum. Sic primò prohibentur milites prædia rustica ad colendum conducere. *l. 31. C. h. t. ne, ut ibi dicitur amissio armorum ulu ad opus rursus se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant. & quidem sub pœna amissionis gradus militaris sine regressu ad illum, & incursus infamiae & inhabilitatis ad contrahendum. l. 35. C. h. t. fundumque conductum statim restituere seu dimittere debent, locatorque, qui scienter illis elocavit, nullam contra eos actionem habet. Lauterb. *h. t. n. 16.* non tamen ventantur conducere prædia urbana & domos ad inhabitandum, stabula ad stabulandos & conservandos equos; his non obstante. *L. militis. C. h. t. ubi dicitur: milites nostros alienarum rerum conductores fieri prohibemus & c. ita cum Gl. in cit. L. v. conductores. Azor. l. c. c. 3. g. 1. Brunnem. ad cit. l. 31.* Idem in specie statuit de decurionibus. *l. 30. C. h. t. nisi quoddam. l. 4. ff. h. t. addatur exceptio, nimirum, nisi jure successionis in conductione remaneant; cum ea permanentia sit conductione necessaria. Lauterb. l. c. Secundò curiales, id est, obstructi curiae prædia conducere nequeunt ex *l. 3. C. h. t. ubi contractus hic conductionis ab iis initus declaratur irritus, & ex ea ratione, ne per curas & negotia prædii conducti ab officii sui obligationibus distrahantur. Verum, præterquam, quòd vi cit. leg. non prohibeantur Curiales non secus ac milites conducere sibi necessaria, videtur dicta lex, etiam quòd ad prædia aliaque non ita necessaria, contraria consuetudine antiquata. Terriò Curatores & tutores, quamdiu administrant, aut redditus nondum rationibus tutelæ & curæ, ventantur conducere vectigalia & prædia fiscalia per *l. 49. §. 1. ff. h. t. & L. unic. C. ne tutor. & curator. vectigal. conduct. & eadem leg. transgressores illius puniuntur pœna falsi. Vide tamen limitationes, quas affert Brunnem. in eandem L. Quartò clerici & monachi prohibentur esse conductores alienarum possessionum & rerum sæcularium per *Novell. 123. num. 6. & c. 1. caus. 21. g. 3. c. 1. ne clerici vel monachi.* Subintelligendum tamen: turpis lucri gratiã; non enim ventantur conducere alia sibi necessaria, ut constat ex *cit. c. 1.* Quintò victores aliaque opifices artem suam cum strepitu exercentes prohibentur conducere domos vicinas scholis publicis, cum ex tali strepitu professores à doctone, scholares à studiis impediuntur. *Arg. L. unic. C. de studiis liberal. Bonac. de contract. d. 3. g. 7. p. 18. num. 2.* extenditque hoc ipsum Lauterb. §. 16. cum Carpz. *p. 2. const. 37. def. 23.* ad domos ab iis non conducendas juxta ædes literatorum, & Bonac. etiam ad domos vicinas monasteriis.****

*Quest. 334. An & qualiter locatio & conductione transeat ad successorem, seu qualiter successor teneatur stare locationi & conductioni?*

1. **R**esp. primò: Locationem transire ad successorem universalem, seu qui titulo universalis in universitatem, seu universum jus prædecessoris succedit, qualis v. g. est hæres, & hunc teneri ad standum locationi, certum videtur; quia eandem cum eo personam representat, adeoque satisfacere tenetur omnibus obligationibus, quibus se prædecessor obligavit.

de Lugo *de f. & f. d. 29. num. 16.* cum communi. Parimodo conductione omniaque jura & obligationes vi illius competentia conductori transeunt ad hæredes illius, & hi illi stare tenentur. *Molin. d. 489. n. 4.* cum communi juxta claros textus §. *fin. Inst. h. t. L. veteris. C. de contrab. & commut. stipul.* Quòd dictum de hæredibus, idem locum habet in Fisco, qui bona locatoris vacantia vel ob delictum omnia, vel partem illorum quotativam jure superioritatis occupavit. *Arg. l. 51. §. 1. ff. de bon. eor. qui ante sentent. Lauterb. h. t. §. 60. citatis de Lug. d. 29. num. 18. Gomez. l. 2. var. c. 3. num. 1. Carpz. in process. crim. g. 135. n. 24. & seq. Brunnem. ad cit. l. 3. Mantic. & pluribus aliis, quòd tamen secus est, si rem tantum locatam tanquam singularem acquirit. Idem citato Gomez. & *l. 33. ff. h. t.* Sic etiam in specie, si Prælatus seu Rector Ecclesiæ, qui res seu redditus ad Ecclesiam ipsam seu monasterium, cujus ipse administrator est, spectantes rationabiliter servatis solemnitatibus juris ad tempus jure permissum seu legitime nomine Ecclesiæ suæ locavit, vitã vel officio defungatur, antequam tempus, pro quo concessa locatio, elapsum, ejus in dignitate successor locationem retractare nequit prohibito absque justa causa, sed tenetur ei stare, eamque continuare toto tempore, pro quo ea facta, etsi id longum esset, non secus, ac juxta *L. si tutela. ff. de administ. tutor.* qui alteri tutori successit, aut, etiam ipse pupillus, cujus tutela administrata est, locationi factæ stare tenetur. & ita tenent cum communi Abb. *in a. fin. ne Prælatus vic. suas. n. g. Covar. l. 2. var. c. 15. 6. Tusch. lit. E. concl. 419. de Lug. l. c. num. 24. Pirh. h. t. n. 24 & 25.* & certè nisi successor haberet hanc obligationem servandi hunc contractum locationis à prædecessore nomine Ecclesiæ suæ initum, is dici non poterit habuisse sufficientem & legitimam potestatem administrandi, deciperenturque cum illo bona fide contrahentes, ut *Covar. Pirh. LL. cit. Laym. disp. can. de reb. eccles. non alien. n. 80.* His tamen non obstantibus poterit Ecclesia, ubi se ex tali contractu læsam probaret intra quadriennium ei ad hoc concessum perere & obtinere restitutionem in integrum juxta *c. 1. de rest. in integ. & c. eod. in 6. Laym. Pirh. Abb. Covar. LL. cit.* Idem dicendum de aliis legitimis administratoribus & negotiorum gestoribus, quòd locationi per eos factæ, dum sunt generales universorum negotiorum gestores, stare teneantur illi, quorum negotia gesta, ut sunt pupilli & minores, qui etiam finita tutelã tempus locationi statutum expectare tenentur juxta jam dicta, de Lugo, *l. c. n. 4. Muller. ad Struv. h. t. th. 27. lit. a.* ubi etiam idem dicit de uxore, quòd soluto matrimonio stare teneatur locationi factæ per maritum in bonis paraphenis (secus in dotalibus, de quo vide eundem *l. c. lit. a.*) utpote quorum est legitimus administrator. pro quo citat. *l. 25. §. fin. solut. matrim. & Zoël. h. t. n. 40.* Sic quoque conductor aliquis generalis bonorum omnium. V. g. Abbatia alicujus stare tenetur locationi particulari certi alicujus prædii inter eadem bona contenti jam prius factæ per locatorem omnium bonorum, & expellere nequit particularem illum conductorem, saltem dum conductor ille generalis hoc scivit, nec aliud prætere potest, quàm jus exigendi pensionem conventam ab illo particulari conductore ita *C. de Luca. de locat. & cond. d. 23.* citans pro hoc *Fabr. in Cod. l. 4. tit. 42. de locat. definit. 2.* Contrarium verò dicendum de Prælato seu Rector*

Store Ecclesie respectu reddituum specialiter pro eius sustentatione deputatorum, seu ad mensam ejus spectantium, dum is uti potest, ut Abb. in c. 2. de his que sunt à Prælat. num. 7. Laym. l. c. n. 81. non nomine Ecclesie suæ, sed nomine proprio elocavit in utilitatem suam ad tempus vitæ suæ, elocatione hac personali fundata in persona sua, quod eo resignante Prælatum vel ab ea amoto aut mortuo, successor non teneatur illi locationi, sed ea expiret. Gl. communiter recepta in c. ult. ne præl. vic. suas. v. statutum terminum. Tusch, Laym. Pirh. LL. cit. cum comm. eò quod hi redditus, cum pertineant ad successorem eique sint reservandi juxta c. ult. de off. jud. ordinar. in 6. c. relatum de testam. Abb. in cit. c. ult. ne Prælati. num. 8. Prælati ille locator de iis disponere non potuit in præjudicium sui successoris locando illos ultra tempus vitæ & administrationis suæ. Sed neque locare potest ad annos plures, anticipato acceptis pensionum solutionibus, factis in præjudicium successoris, dum locator, qui eas accepit, interea moritur, cum istiusmodi locationes pro invalidis habere vult Tridentinum Sess. 25. c. 11. de reform. Unde jam etiam, dum Rector ecclesie. V. g. Parochus fundum suæ sustentationi seu mensæ deputatum etiam nomine ecclesie suæ elocat ad certum tempus longum, locationem hanc esse conditionalem censendam, nimirum, si tandiu vivam, cum censeatur illum voluisse elocare, quam diu jus haberet percipiendi fructus illius, asserit Pirh. b. r. n. 27. cum Covar. l. c. & Laym. l. c. n. 82. Eadem hæc dicenda de simplici beneficiato non habente administrationem ecclesie, sed tantum beneficii. V. g. cum non habens administrationem ecclesie non possit nomine ecclesie fundum locare, adeoque tantum ad vitam suam, nisi fortè accedente autoritate Ordinarii. Pirh. num. 28. Quam autoritatem intervenisse, dum colonus ejusque majores prædia spectantia ad parochiam per annos 60. 70. vel 80. continuos tanquam emphyteutica pro pensione bona fide possederunt ob temporis diuturnitatem (præsertim ubi adfuit scientia & patientia Ordinarii solitorum in visitationibus inquirere in titulos istiusmodi possessionum) præsumi posse ac debere, cum Gail. l. 2. obs. ult. n. 6. asserit Pirh. n. 29. adeoque colono non eripienda à successoribus Parochis, etiam independenter à præscriptione, quâ casu quo talis concessio seu autoritas Ordinarii non intervenisset, per possessionem bona fide continuatam etiam 40. annis contra ecclesiam præscribi potuerunt juxta c. illud. de præscript. Secus tamen, si inspectis literis concessionis primitus factæ colono manifestè appareret, solius Parochi alteriusve beneficiati autoritate fuisse talia prædia elocata in perpetuum aliudve tempus longum; evanesceret enim tunc talis præsumptio; quin & possessio bonæ fidei ob titulum notoriè vitiosum: adeoque jam à successore parochi vel beneficiati adimi poterunt colono emphyteutæ, seu ejus conductioni subduci dicta prædia. ita ferè cum Laym. loc. cit. th. 83. Pirh. loc. cit.

2. Resp. secundò: Successores particulares, qui jure & titulo singulari succedunt in rem locatam alteri regulariter stare non tenentur locationi factæ ab antecessore, sed possunt pro libitu suo absque alia causa conductorem ab ea remove. Ita tamen ut conductor agere tunc possit ad interesse contra locatorem ejusque hæredes actione ex conducto. L. emptorem. C. de locat. L. si merces. L. quis fundum. ff. locati. L. nihil. §. fin. ff. de legat.

ita de Lugo. loc. cit. Lauterbach. b. r. §. 61. Struv. b. r. th. 27. Muller. ibid. lit. v. Pari modo conductor non tenetur stare successori locatoris singulari, continuando cum eo contractum conductionis, etiam absque eò, quod illi teneatur ex cessatione à conducto ad præstandum interesse; ratio utriusque est, quod cum successor singularis non representet personam aut jus auctoris, ei in iuribus vel debitis merè personalibus non succedat, sed jus, obligatio & actio tota ex hoc contractu sit personalis, quâ conductor se obligat locatori & locatori conductori; hinc successor particularis ex facto auctoris talis obstringi non potest; neque successor jus ullum habet adversus conductorem ad obligandum illum ad perseverandum in contractu conductionis: neque conductor jus ullum adversus successorem ad relinquendum se in conductione. Sic itaque in specie donatarius, cui res certa obnoxia locationi donata est, poterit etiam vivo donante locante conductorem amovere secus tamen est de donatario, cui omnia bona donata; hic enim non secus ac hæres stare tenetur contractui. Muller. l. c. lit. u. cum Carocio de locat. & conduct. p. 4. q. 36. n. 6. Idem est de legatario, quod de donatario particulari, non tantum cui res, jam locata alteri, quò ad proprietatem legata, sed etiam cui legatus usufructus rei istius; hic enim tanquam successor singularis in isto jure percipiendi omnes fructus reilegatæ, expellere potest conductorem. l. 59. ff. de usus. & ibi Brunnem. Muller. l. c. lit. b. & in genere successor particularis, qui non acquisivit dominium directum rei locatæ, sed solum utile. V. g. emphyteuta, usufructuarius &c. amovere potest conductorem. Arg. L. arbores. ff. de usufruct. de Lugo. l. c. n. 16. Mantica. de tac. & amb. convent. l. 5. tit. 10. n. 5. & 26. Barbof. ad l. 9. C. b. r. n. 10. Lauterb. b. r. §. 64. Item proprietarius, qui finito usufructu rem ab usurario locatam recepit, non tenetur stare illi locationi. l. 9. ff. b. r. Lauterb. l. c. Item successor in feudo. Lauterb. citato Richter. decis. 81. n. 11. & successor in majoratu, ut Idem cum Barbof. l. c. n. 9. & Molin. de primogen. l. 1. c. 21. n. 3. de Lugo. l. c. n. 19. Item fide commissarius, cui res locata tanquam fideicommissum concessa, non tenetur stare locationi factæ à prædecessore concedente fideicommissum. de Lugo. l. c. Lauterb. §. 67. dicens hoc ipsum procedere tam in fide commissario universalis quam particulari. pro quo citat Molin. de primog. ubi ante. & de Lugo. n. 10. quem vide. Item ad hæredem ex re certa locata alteri institutus, seu habens cohæredem non transit dicta locatio, seu stare illi locationi non tenetur. l. 12. C. de hered. instit. & ibi Brunnem. Lauterb. l. c. Item Fiscus rem singularem locatam publicatam occupans. l. 33. ff. b. r. Lauterbach. l. c. de Lugo. l. c. n. 18. Nec conductor habet jus ad interesse contra locatorem talis rei, sed solum ad repetendam pensionem; si quam anticipato solvit pro tempore sequente. Lugo. ibid. Secus tamen est de Fisco succedente in bona omnia, vel partem eorum aliquam aliquotam, V. g. dimidium vel quartam partem; est enim tunc successor universalis. Quamvis tamen nec tunc teneretur stare locationi, si ea facta post delictum, ob quod omnia bona ipse jure confiscata; eò quod tunc locatio non possit præjudicare. Fisco, utpote cui jam jus quæsitum, ita de Lugo. Item maritus rem alteri locatam accipiens in dotem. Lauterb. l. c. citatis Bachov. ad Treut. vol. 1. disp. 29. th. 2. lit. e. Carpz. p. 2. const. 37. def. 2. n. 8. & Mantica. ubi supra num. 9. Contrarium tamen affirmat de

De Lugo *loc. cit. num. 24.* dum maritus scivit esse locatam alteri; eò quòd tunc videatur tacite illam cum eo onere suscepisse. Item uxor soluto matrimonio rem dotalem à marito locatam recipiens non tenetur stare locationi; cùm jure proprietatis illam recipiat. Arg. *l. 25. §. fin. ff. solut. matrim. Lauterb. l. c. §. 24.* Carpz. *l. c. Muller. ad Struv. b. t. r. 27. Lit. a.* Quia maritus respectu matrimonii soluti rem alienam locavit. *l. in rebus. C. de jur. dot.* qualem locationem verus dominus (qualis rerum dotalium soluto matrimonio evadit uxor) servare non tenetur. *l. 7. §. 15. h. t.* cum hac ratione facta mutatione domini rei dotalis, illius locatio extinguatur. Arg. *l. 9. C. h. t. §. cit. l. 25.* His non obstante, quòd maritus sit administrator dotis, cùm non locaverit administratorio, sed suo nomine tantquam revera rei dotalis proprius dominus. Lauterb. *loc. cit.* quamvis uxor ex singulari ratione (puta, ut aliqui, quia ipsa quoque ex locatione illa commodum accepit, dum merces locationis ad onera matrimonii sustinenda impensa, vel etiam ob summum amicitia vinculum) teneatur cavere, se, si maritus eo nomine in aliquod condemnatus fuerit, conductori illud præstituram; V. g. interesse, dum maritus locator non indicasset rem dotalem esse. Ita ferè Lauterb. *cit. §. 64.* remittens ad Bachov. Carpz. *LL. cit. Franzk. b. t. num. 228.* Mantio. *loc. cit. n. 21.* Caroc. *tr. de locat. §. conduct. p. 2. quest. 30. à num. 4.* Zoës *b. t. num. 45.* quibus à de Lugo *loc. cit. num. 20.* annumerantur. Molin. *d. 491.* Gomez Covar. &c. etsi ipse cum Abb. & Alex. dicat, verius sibi videri contrarium, nimirum quòd uxor locationi rei dotalis à marito facta stare teneatur in iis casibus in quibus pupillus aut minor facti sui juris stare tenentur locationi facta à tutore vel curatore. Unde &, antequam dotem recipiat cavere debeat de servando marito facta haredibus indemnibus ab oneribus, quæ maritus in tali contractu subivit. Rationem dat, quòd maritus rerum dotalium non sit fructuarius tantùm, sed legitimus administrator, & uxor illorum domina juxta *l. in rebus. C. de jur. dot.* ad quam tamen rationem responsum est paulò ante. Sic etiam, ubi conductor mortuus sine haredibus & liberis relinquit solam viduam prægnantem, illa ventris nomine in conductione remanere potest. Muller. *b. t. r. 13. Lit. a.* citatis. Berlich. *p. 2. concl. 45. num. 7.* Reusner. *decif. 14. num. 22.* Denique ex responsione sequitur, in emptorem rei locata non necessariò transire locationem, sed posse eum pro libitu suo expellere conductorem. *l. 25. §. 1. l. 32. ff. l. 9. C. h. t. & ibi. Brunem. Carpz. loc. cit. def. 4.* Lauterb. *§. 62.* Reiffenst. *b. t. num. 30.* cum comm. idque, etiamsi emptor tempore emptionis seiverit, aut etiam venditor expresse ei dixerit, rem locatam alteri; cùm quocumque alicui affert præjudicium, in id ex sola scientia & taciturnitate nemo contentire videatur, nisi factum aliquod concurrat, ex quo renunciatio præsumi possit. *l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. solv. & ubi specialis cautio & conventio requiritur, non sufficit scientia & taciturnitas. l. 25. ff. §. l. 9. C. h. t. Lauterb. loc. cit.* (cujus tamen contrarium de emptore sciente rem sibi venditam alteri locatam, nimirum hunc teneri stare locationi facta insinuat. *C. de Luc. de conduc. §. locat. d. 23.* citatis pro hoc Marefchot. *l. 2. c. 19. num. 24.* Ottobon. *decif. 50. num. 4.* Gratiano *discep. 137. num. 17. §. seq.*) quin & etiamsi locator conductori jurasset, se contractum locationis servaturum. Arg. *l. ult. C. de non numer. pecun. juxta quam legem juramentum non mutat, sed imita-*

tur naturam contractus, & cùm sit personale juxta *c. 14. de jurejur. emptor juramento locatoris obstringi nequit. & ita tenent Brunem. ad cit. l. ult. Zoës, b. t. num. 42.* Mastert. *tr. de locat. quest. 20.* quos citat & sequitur Lauterb. *§. 62.* contra Barbof. *in cit. l. ult. num. 21.* Idem est, si locator promiserit, se rem locatam ante tempus conductionis elapsum non alienaturum Arg. *l. p. ff. de pactis* Lauterb. Mastert. Muller. *LL. cit.* Porro licet emendo rem locatam resolvatur præcedens contractus locationis, ubi tamen emptio est & declaratur invalida aut aliis ineffectuata, reviviscit prior contractus, utpote causativè cessatus. *C. de Luc. de locat. d. 44. n. 5.* Qualiter autem debitor stare teneatur locationi facta per creditorem, vide apud eundem *d. 38. n. 4.*

3. Resp. tertio: patitur nihilominus hoc ipsum, quòd ad singularem successorem non transeat locatio varias exceptiones. Nam transit adhuc in eum locatio, & is ei stare tenetur, seu conductorem expellere nequit. Primò, dum venditor rei locatae cum emptore convenit, ut patiatu conductorem usque ad finem temporis locationi statuti continuare conductionem. *l. emptorem. C. de locat. l. si merces. ff. locati.* De Lugo. *loc. cit. num. 16.* Carpz. *p. 2. const. 37. def. 4. n. 3.* Muller. *loc. cit. Lit. d.* Lauterb. *b. t. §. 65.* Idem est, & successor in continuationem locationis consensisse censetur, si hoc actum, actum, ut pensiones ad successorem pertineant. *l. 59. §. 1. ff. de usufruc. Barbof. ad l. 9. C. h. t. Tulden. in C. h. t. n. 15.* Lauterb. *l. c.* cùm pensio non debeatur, nisi duret locatio.

4. Secundo: dum ipse successor singularis cum conductore sic pactus tacite vel expresse, quòd non velit ipsum expellere. *cit. l. 9. C. h. t. de Lugo. n. 17.* Muller. *l. c.* qui tamen addit, in hoc casu successorem liberari præstando conductori interesse juxta *l. 25. §. 1. ff. h. t. l. 13. §. fin. ff. de act. empti.* Atque ita successorem, si mercedem accepit, videri tacite contractum locationis pro eò anno tatum habuisse ait Lauterb. *l. c.* cum Molin. *de primog. l. 1. c. 21. num. 6. §. 7.*

5. Tertio. si res ipsa locata conductori à locatore fuisset oppignorata pro securitate contractus locationis continuanda, vel etiam constituta hypothea generalis omnium bonorum, non potest successor singularis eum amovere. Barthol. Bald. Salicet. *in cu. l. 9. C. h. t. Carpz. l. 5. tit. 3. resp. 17. n. 20.* Caroc. *tr. de locat. §. cond. p. 4. q. 37. num. 25.* Muller. *loc. cit. Lit. e.* De Lugo. *l. c.* quin etiam in hoc casu constituta illius hypothea singularis in securitatem pacti de non alienando rem locatam, subsequens alienatio erit invalida, ut de Lugo cum Molin. *d. 440. num. 7.* dicens esse coarimunem DD. & licet dictus valor alienationis non impediatur duntres locata unà cum aliis bonis generali hypothea fuit oppignorata, non tamen tenetur conductor relinquere conductionem, sed potest se defendere contra successorem volentem se expellere propter jus in re, quod virtute hypothea ad hoc etiam in specie obligat; cùm non sit ad interesse, sed ad securitatem & permanentiam contractus.

6. Quarto successor singularis necessarius, sive in quem necessitate urgente translatus est dominium rei locatae. Sic creditores immixti in bona debitoris sunt successores necessarii, & hi locationi facta à debitore, ante illam immixtionem stare tenentur. Secus est de successore voluntario; V. g. emptore. *l. 8. §. 1. ff. de reb. Author. Judic. possidend.* Muller. *loc. cit. Lit. z.* cum Bald. *in l. 9. C. h. t. num. 4.* quòd ipsum tamen de successore necessario ita generaliter acceptum non

non satis firmum videri ait Lauterb. §. 67. remittens ad Zoës *h. t. num.* 45. Sed tunc, ubi necessarius successor succedit ex persona & jure prædecelloris.

7. Quintò idem est, dum emptor, qui rem sub hasta venditam emit, cum omnis, qui per sententiam Judicis succedit in se locata stare teneatur locationi. Muller. *loc. cit.* cum Lauterb. in *Synop. r. h. t. num.* 245. nisi ea facta sit in fraudem, ut idem cum Carpz. *l. 5. tit. 3. resp.* 17. n. 19.

*Quest. 335. Quenam res locari & conducì possunt aut prohibeantur?*

**R**Esp. regulariter locari & conducì ad usum possunt res omnes, quæ sunt in commercio, nec usu consumuntur, aut specialiter in jure ab hoc contractu eximuntur. *l. 1. ff. h. t. Dixi: nec usu consumuntur:* siquidem rerum fungibilium, seu quæ statim usu consumuntur, & quarum usus in ipsa absumptione consistit, non datur propriè locatio & conductio, *l. 31. ff. h. t. & Arg. l. 3. §. fin. ff. commodat.* ex ea ratione, quòd finito usu restitui nequeant, pro ut requiritur ad conductionem, & quòd in iis rebus dominium transeat in eum, cui conceduntur, ut Lauterb. *h. t. §. 19.* quod est contra naturam locationis. Unde jam etiam in genere dici nequit, quòd res omnes, quæ emi & vendi possunt possunt etiam locari & conducì, dum etiam res istiusmodi fungibiles emuntur & venduntur. Dum tamen quis eis tantum uti vellet ad pompam salvâ eorum substantiâ, etiam propriè in hunc finem locari & conducì possunt juxta *cit. l. 3.* sic quoque locari & conducì possunt opera personarum omnes, modò sint honestæ & mercede æstimari solitæ, ita ut inde in conducentem utilitas, redundet *l. 5. §. 2. ff. de præscrip. verbis.* Lauterb. §. 27. quales quia non sunt, in hunc contractum deduci non posse propter earum gravitatem & dignitatem operas Professorum, Advocatorum, Medicorum & similibus, quæ magis viribus ingenii quàm corporis expediuntur. Unde & quod illis præstatur, non tanquam operarum præstitarum æstimatio & in compensationem illarum, sed potiùs in remunerationem & animi grati demonstrationem solvi, ut proinde non merces, sed honorarium seu salarium dicatur, etsi de jure civili extraordinarie petatur, astruit Lauterb. §. 28. citatis. *l. 5. §. 2. ff. de P. V. Franzk. h. t. n. 58. & seq. Bachov. & alii.* vide de his fusè Muller. *ad Struv. h. t. ib. 4. Lit. 1.*

*Quest. 336. An & qualiter res incorporeæ locari & conducì possunt?*

**R**Esp. ex eo capite ab hoc contractu eas non excludi, Carpz. *l. 2. resp.* 15. *num.* 1. Lauterb. *h. t. §. 20.* Sic enim locantur, varia jura, & in specie locatur jus vectigalis, *l. 4. C. vectigal. nov. instit. non poss.* Lauterb. *loc. cit.* item usufructus, §. 1. *Instit. de usu & habit. l. 18. C. de jur. dot.* Lauterb. *loc. cit.* remittens *ad l. 9. §. 1. ff. h. t. & Brunem. ibidem.* & Caroc. *de locat. & cond. p. 2. q. 38. & seq.* Item jurisdictio Lauterb. cum Carpz. *cit. resp.* 15. *num.* 3. ubi is: hodie plurimas civitates titulo locati conducti exercere jurisdictionem compertum: ubi & in sequentibus probat, prædio, cui jurisdictio adhæret, locato, etiam, jurisdictionem locatam videri. Quod etiam de jure patronatus defendit. Nihilominus servitutes prædiales seu rurales, ut sunt iter, æctus, via, jus pascendi locari non posse, ajunt Reif-

fenst. *h. t. n. 19.* Wiestner. *n. 4.* juxta *l. locare ff. h. t.* dum ibi dicitur: lacare servitutem nemo potest. Ex ea etiam ratione, quia servitus ad tempus constitui nequeat. *l. 4. ff. de servit.* Verùm id sic limitandum: nisi locentur servitutes, unà cum prædio seu fundo, cui adhærent. Wiestn. *loc. cit.* Muller. in *Struv. h. t. Lit. e.* ubi etiam citato pro hoc Butrio in *c. ex literis. de jurepa. num. 8.* quòd hac ratione jus patronatus annexum prædio cum aliis juribus annexis locari possit, & conductor illius præsentare. Secus de cætero est de servitutibus personalibus juxta §. 1. & 5. *Instit. de usu & habit.* juncta *l. usque eoff. eod.* Sed neque jus cudendæ monetæ alteri locari posse per functionem pragmaticam & publicam Imperii in edicto Ferdinandi I. de anno 1559. idque ex ratione, ne à conductoribus monetæ depravetur, quod minuit famam Principis, testatur Lauterb. §. 21. quem vide.

*Quest. 337. An & qualiter res & operæ propriæ & alienæ locari & conducì possunt?*

1. **R**Esp. ad primùm: rem propriam locatoris ab eo locari posse alteri, extra dubium est, modò eam aliunde non repugnet locari. Idem est de opera propria locatoris locari solita. Res verò conductoris propria regulariter eidem locari seu ab eo conducì nequit, etiam dum locator, quin & ipse conductor existimaret alienam juxta expressos textus. *l. 9. §. fin. ff. h. t. l. 45. ff. de regul. jur. l. qui rem. C. h. t.* estque ratio manifesta; quia nimirum deficit objectum locationis, nempe usus rei, utpote qui domino rei ab alio concedi seu præstari nequit, cum is eum jam habeat jure domini. Lauterb. §. 26. juxta *Leges cit.* Limitatur nihilominus hoc ipsum primò ita ut debitor, qui rem suam creditori in pignus dedit ab eodem eam conducere possit. *l. 37. ff. de pignor. act. l. cum & sortis. ff. eod.* Lauterb. §. 26. Muller. *loc. cit.* secundò dominus conducere potest rem propriam, ubi titulus ad dominium transferendum habilis præcessit; ut si venditor rem suam alteri vendidisset, & nondum tamen traditam ab emptore certa mercede conduceret Lauterb. *l. c.* verùm, ut idem, hæc non tam erit conductio rei conductoris propriæ quàm alienæ, nimirum propriæ emptoris; cum eo ipso, quòd venditor eam conduceret, incipit eam possidere nomine emptoris, & sic citra aliam traditionem fictione brevis manus ejusdem rei possessionem & per consequentiam dominium in emptorem suo ministerio transfert venditor. Tertio omnes ii, qui non habent perfectum seu plenum rei dominium, possunt conducere rem suam; V. g. dominus feudi, habens solum dominium directum potest conducere feudum seu rem feudalem à suo Vasallo. Lauterb. *loc. cit.*

2. Resp. ad secundùm: possunt quoque tam operæ quàm res alienæ, seu non domini locari & conducì. *l. 9. & 25. & 27. de oper. libert.* Et quidem, quod spectat ad operas, potest dominus servi sui operas locare alteri juxta *LL. cit.* sic quoque conductor operas conductas, si de contraria contrahentium mente non constat, locare denuo potest alteri. *l. 7. ff. l. 6. C. h. t.* Lauterb. §. 29. quod spectat ad res, possunt quoque eæ locari & conducì à non dominis earum (etsi, ut Bachov. apud Lauterb. §. 22. locatorum, scilicet rem alienam, committat furtum) *l. 7. 9. 15. ff. h. t.* ita ut etiam locator rei alienæ pro eo tempore, quo conductor eâ usus, mercedem exigere

exigere possit. Lauterb. *loc. cit.* cum Mantio. *de tac. & amb. convent. l. 5. tit. 3. num. 1.* ubi verò superveniens rei locata dominus eandem vindicando conductori aufferit, teneatur locator sciens rem esse alienam conductori ad interesse *l. 7. 9. & 15. ff. h. t.* Muller. *loc. cit. lit. a.* quamvis Lauterb. *cit. §. 22.* addat, teneri ad hoc locatorem, sive sciverit, sive ignoraverit esse alienam. Arg. *l. 19. §. 1. ff. h. t.* Modò tamen aliqua culpa illius intercesserit; eò quòd ubi quis re uti prohibetur locatoris culpà, ibi interesse petatur, licet conductor rei conditionem ignoraverit, quam tamen scire debuit, ita tamen, ut ab hoc interesse præstando locator ignorans liberetur, rem similem, non minùs commodam conductori præstando, ut Lauterb. cum Franzk. *loc. cit. num. 48.* cùm usus, qui hic transfertur, faciliùs per æquipollens suppleatur. Gomez. *2. var. c. 32.* secus, ac accidit in venditionibus similibusque contractibus, in quibus aliud pro alio substitui invito nequit. Uti etiam à præstando interesse liberatur exceptione justæ ignorantia. V. g. quòd rem bona fide ab alio emerit, sicque sine dolo & culpa rem alienam locaverit. Arg. *l. 9. ff. h. t.* conductor tamen, qui sciens rem esse alienam, conduxit, ob rem evictam ad interesse agere nequit. Arg. *cit. l. 9.* De cætero res conducta à conductore, adeoque respectu illius aliena, alteri æque idoneo ad eundem usum (non ad alium, cùm nec ipse conductor primus eam ad alium usum, quam ad quem conducta, uti possit juxta *l. 6. C. & 7. ff. h. t. Molin. d. 489. num. 1.* Lauterb. §. 23.) locari potest, Arg. *l. 7. ff. de usu & habit.* Sic v. gr. studiosum ante tempus conductionis elapsum recedentem è domo conducta, posse in conductione subrogare sibi alium pium & quietum, habet Rebuff. *de privit. universit. privit. 12. num. 1.* apud Lauterb. *loc. cit.* ita tamen, ut secundus hic conductor, licet tantùm locatori suo, & non primo locatori, teneatur actione personali ad solvendam pensionem, res tamen ipsius, quas in prædium urbanum induxit, & fructus prædii rustici pro ea parte & pensione sub qua conduxit, per modum hypothecæ tacitæ obligentur primo locatori, eique contra illum competat actio hypothecaria. Uti hæc sumuntur ex *l. 4. & 7. ff. in quib. caus. pign. tacite contrab. & l. 11. ff. de pignor. act.* Lauterb. *loc. cit.* Pari modo potest usufructuarius rem alienam usufructuariam locare alteri *l. 9. ff. h. t.* Lauterb. *loc. cit.* quem vide. Idem dicendum de vasallo, quem, etiam sine consensu domini, feudum bona fide posse locare alteri, etiam ad longum tempus, tenent Lauterb. §. 24. Muller. *l. c. lit. a.* citans Vultejum *l. 1. de feud. c. 2. num. 9.* juxta textum §. *donare 1. l. 2. feud. tit. 9.* Qui textus loquitur generaliter, & ad valorem talis locationis aliud non requirit, quam ut non sit fraudulenta, & non vergat in contemptum domini; uti in eam non vergit, dum per eam non transfertur dominium, neque etiam possessio rei feudalis; neque vasallus locans fraudat dominum debitum ei oble-

quius; cùm etiam ipsi ex mercede locationis accepta deservire valeat, ut Arumæ. *disp. feud. 7. thes. 8.* & locatoris jure resoluta seu perempto, resolvatur quoque jus illud conductoris juxta *l. 9. ff. h. t. l. 69. de legat.* Ad hæc, ut Lauterb. succellor feudi seu in feudo non teneatur stare hujusmodi locationi factæ à prædecessore vasallo.

*Quest. 338. An res publicæ locari & conducti possint?*

**R**esp. Res publicæ ad Fiscum vel Rempublicam spectantes, tam corporales, ut sunt prædia civilia & fiscalia, quam incorporales, quæ in jure consistunt, ut sunt redditus ex salinis, metallifodinis, vectigalibus provenientes à Fisco vel Republica locari possunt quibuscunque, & à quibuscunque privatis conducti possunt, exceptis iis, quibus locari, & à quibus conducti specialiter prohibentur. Muller. *in Struv. h. t. thes. 4. lit. 6.* imprimis tamen locandæ divitibus, ut idem juxta *l. 1. C. de locat. præd. civil.* Non tamen hi conductores conductionem continuare cogi possint, si elapso locationis tempore res tales tantidem conducti nequeunt. Idem juxta *l. 3. §. 6. de jur. fisc.* nisi fortè ex antecedente etiam finita locatione maximos consecuti sint fructus, *l. 11 §. fin. de publ. & vectig.* ii vero, quibus istiusmodi res locari specialiter prohibentur, sunt ferè sequentes; qui prioris conductionis mercedem non solverunt, ex ea ratione, ne ex illa causa contracta debita aggraventur, *L. locatio. §. 2. de publ. & vectig.* nisi tamen fidejussores idoneos obtulerint, *cit. L.* Item tutores & curatores adhuc tutelam & curam administrantes, aut qui eam deposita rationes illius necdum reddiderunt; secus tamen, si tam pupillis quam vectigalibus satisfecerint, *L. unic. C. tur. vel curat. vectig. cond.* Item minores 25. annis ob beneficium restitutionis in integrum, quo fruuntur, *L. in fraudem. §. fin. ff. de jur. fisci.* Item clerici, Novell. 123. c. 6. Item Judæi, c. *penult. de judæ.* Muller. *loc. cit.* Ac denique milites & curiales, *L. unic. C. quib. ad conduct. præd. civil. acced. non licet. L. milites. L. licet. C. locat.*

*Quest. 339. An & qualiter res ecclesiasticæ locari & conducti possint?*

**1.** Resp. primò: Beneficia ipsa, dignitates regimen spirituale animarum, aut jurisdictionem ecclesiasticam habentes etiam commendari & committi valeant, nullatenus tamen locari & conducti pro mercede posse extra dubium est, & constat ex *tit. ne præl. vices suas;* ubi de eo expressè.

**2.** Resp. secundò: Quomodo verò res ipsæ temporales ecclesiasticæ, seu spectantes ad ecclesias, monasteria aliaque loca sacra & religiosa; item redditus, proventus, fructus earum, etiam ipsorum beneficiorum locari possint, etiam laicis, satis dictum est supra ad *tit. 13. de reb. eccl. alien.* quæ vid.